

Angelus est alicubi per suam operationem, hinc necesse est, ut adfit quoque per essentiam, quae est operationis istius principium. Nam operatio, ceu proprium, praesupponit essentiam, vid. *Leidecker* in *Face Veritatis* p. 320. seqq. *Iob. Adam. Osiander* Colleg. Considerat. cap. X. de Angelis Th. II. p. 195. et seqq. *Stutgardiae* 1684. 8. *Petrus van Mastricht* Theol. Theoret. Pract. l. c. p. 346. seq. ut et in *Gangraena* cap. 23. p. 405. seq. add. *Hermannus Leberman* Comp. Theol. l. c. §. 7. p. 62. seq.

Thes. XXI.

Ex quibus ergo iam apparet, quod, cum Angeli natiua sua finitudine sint in ubi, non possint esse naturaliter per suam essentiam in pluribus ubi simul. Denuo hoc volunt Cartesiani, vid. *Wittichius* in *Theol. Pacif.* §. 183. Quam vero sententiam et nos denuo reiicimus, quia (1.) in Scriptura S. Angeli dicuntur descendere, ascendere *Gen. XXVIII, 12.* accedere Christum, antea eidem non praesentes *Matth. IV, 11.* ex uno denique loco, obsessis scilicet, in alium, porcos nempe, migrare *Matth. VIII, 32.* tali autem quid opus fuisset migratione, si potuissent in pluribus esse locis simul? Quia (2.) per hoc Angeli forent omnipraesentes, quod tale tamen est proprium, quod nulli competit creaturae, sed soli DEO. Quia denique (3.) etiam recta docet ratio, quod omne finitum in uno tantum possit esse ubi, siquidem affectiones sequuntur indolem entis. Fusius de hoc egit *Petrus van Mastricht* *Gangraena* nouitatum Cartesianarum p. 412. seqq. add. *Leidecker* l. c. p. 320. seqq. *Osiander* l. c. p. 197. seqq. *Hermannus Leberman* l. c. p. 63.

Thes. XXII.

Hos etiam Angelos magno a DEO productos esse numero, ex *Dan. VII, 10.* *Matth. XXVI, 13.* satis superque constat. Qui vero et quantus iste numerus sit, nobis in hac mortalitate non liquet. Nec est, ut quidam ex *Matth. XXVI, 13.* eum determinare velint, neque enim Christus l. c. praecise Angelorum definiuit numerum, sed plures esse, diserte asserit, conf. omnino

B. Scher-